

B. C. D.

EXERCITIUM ACADEMICUM,

De

# NUMERO RE- GNORUM NATURÆ

&amp; in specie nuper addito

QUARTO S. AQVEO REGNO,

Qvod

*Consentiente Ampli Facult. Philosophica in Regia Academia  
Aboënsi,*

Sub PRÆSIDIO

*Viri Maxime Reverendi & Celeberrimi*

# D. JOHANNIS BROWALLII,

S. Theol. Doct. &amp; Scient. Nat. Prof Reg. &amp; Ord.

*Doctorum censure & examini sifit*

JACOBUS ESTLANDER

*Ostrobotniensis.*

In Auditor. max. Die XXV. Apr. Anni MDCCXLIV.

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, Excid. Joh. Kiæmpe, R. Acad. Typogr.

Viro Admodum Reverendo atque Amplissimo  
Mag. CLAUDIO HEDMAN,  
Urbis Walensis Ecclesiarumqve in Mustafari PASTO-  
RI Vigilantissimo, adjcentis Districtus PRÆPOSI-  
TO adeturissimo, ac Scholæ ibidem Trivialis IN-  
SPECTORI gravissimo, PATRONO Magno.

Spectatissimo Viro  
Domino GERHARDO HELLBERG,  
Provinciarum Ostro-Botn. & Caianaburg. QVE-  
STIORI per multos Annos longe dignissimo,  
FANIORI perqvam benevolo.

Viro Plurimum Reverendo atque Clarissimo  
Dn. ANDREÆ CAJANO,  
PASTORI Paldamoëniæ meritissimo, ut antea IN-  
FORMATORI, ita jam FAUTORE  
et sumatissimo.

**T**Enies atque exiles has lucubrationses ab favorem profusa-  
TRONI & PAUORES optimi, in tesseram grati ansi-  
ta fundere calidissima

Admodum Rever: Spectat. at-  
Cliens & cultor  
Auctor &

Viro Admodum Reverendo atque Praclarissimo

Mag. HENRICO CARLBORG,

Ecclesiarum qvæ DEO in Nerpes, Norfjörd / Öster-  
mark & Portesh colliguntur PRAEFOSTIO & PASTORI  
longe meritissimo, FAUTORI Magno.

Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo

Mag. PETRO HELLBERG,

PASTORI Christina-Lapfierdensium, longe meritissimo  
ut olim PRAECEPTORI fidelissimo, ita jam NUTRITIO  
Liberalissimo & EVERGETÆ, qva par est animi reve-  
rentia ad cineres usqve colendo.

Viro Plurimum Reverendo atque Praclarissimo,

Mag. ISAACO PELDAN,

RECTORI Scholæ Trivialis, qvæ Biörneburgi flo-  
ret, meritissimo, FAUTORI ex-  
optatissimo.

singularem, maximaqve mihi prestita beneficia, VOBIS PA-  
MI consecratas volui, pro perenni VESTRA insolumitate do-  
numquam inserviisse.

qvæ Praclar. Nominum Vestrorum,

observantissimus.

Respondens.

Handelsmännerne till Christina  
Åreborne och Högvälväktade  
Herr HANS BERG,  
och  
Herr HANS UDDMAN,  
Mine gunstige välgynnare.

**T**ag då siefstwer mig fördömina  
Doch ei ursächt söka lär /  
Om jag nänsin skulle glömmis  
Honad jag Eder skyldig är.

At jag mycket godt erfärit/  
Vidgår och beklämmer jag /  
Men om jag dess wärdig varit  
Viljar tacksamt sinne lag.

Dersför til ett wördssamt minne /  
Af alt godt i mig beteck /  
Det jag finner i mit sinne  
Wara ofverflödigt skiedt /

Mine gunstige välf  
Hörsamste  
JACOB

Handelsmännerne till Uhled  
Uhreborne och Högvälvadade

Herr PAUL FLORIN,  
och

Herr HENRICH ESTLANDER,  
Min gunstige wälgyttare och Frände.

Eder Gynnare och Frändar/  
Hvad jag ärkeat gifwa fram/  
Jag med wördsame hienta sänder:  
Denna ringa pappers fram.

Wördnads märcket jag wil sätta  
Tagen dersör gunstigt an/  
Fast ei bättre än med detta  
Jag Ehr godhet möta kan.


Lefwen lälla håri tiden  
Tills i ledznen lefwa mehr;  
Doch når tiden är förliden/  
Ewig lust jag ønskar Ehr;

Gynnares och Frändes  
stenare  
**ESTLANDER.**

# CONPSECTUS.

Prefatio. De usu Logicae in historia Naturali, prae-  
sertim doctrinae de notionibus nominalibus & de  
speciebus ac generibus.

- §. I. Significationem vocum expendit.
- §. II Triplicis natura Regni differentias exponit  
& confirmat.
- §. III. Regni Aquei notas characteristicas sibi  
& examinat.
- §. IV. Ejusdem ulterius ideam & classificationem  
examinii subjicit.
- §. V. Hoc Regnum comprehendi & absorberi re-  
liquis demonstrat.
- §. VI. Argumenta alia addit contra Regnum  
aqueum pugnantia.



## PRÆFATIO.

**M**agnum & per totum eruditionis campum late se extendentem Logicæ usum nemo ignorat, qui vel e limine Musas salutavit. Intellectum enim nostrum, dum infinita numero objecta quæ mundi hujus vastissimi capit ambitus, admirabili indagine, pensitat & scrutatur, filo quasi dicit Ariadneo. Prinam operam ponit in detegendis investigandisque notionibus nominalibus, quæ unamquamque rem, ab omnibus aliis distinguunt. Nam nisi ope Logicæ eruta, notiones claræ & distinctæ fundamenti loco substernantur ratiociniis, ubique incertitudo & confusio dominabitur, & via ad certam rerum cognitionem omnis præclusa erit; hinc miserimus fuit scientiarum status, sub ævo non tantum Barbaro, sed etiam Scholastico. Sed cum nihilo minus individualium obrueretur multitudine infinita, præferrim cum sint admodum angusti facultatum intellectualium limites, classes idearum constituere & notiones generales formare Logica docuit. Omnia proinde individua, quæ sunt similia, in prima classe collocantur,

tur, quam deinde *speciei* appellamus nomine. Similitudo autem specierum, sive plurium specierum convenientia inter se in quibusdam, classem quendam superiorem constituit, quæ *genus* vocatur. Convenientia iterum & affinitas quedam plurium generum ordines format, ordinum classes; & sic pro-  
ro ad superiora eluctantur genera, donec demum in conceptibus summis Metaphysicis omni enti communibus subsistamus. Singulas vero species,  
singula genera, ordines, classes &c. nomine suo  
fixo & immutabili designare Logica præcipit.  
*Historia erga naturalis*, quæ omnium primo id agit,  
ut fixas rerum naturalium notiones nominales for-  
met, easque apte secundum superiora & inferiora  
genera ac species disponat, Logicis subsidiis quam  
maxime opus habet. Neglectus certarum notionum  
ac justæ classificationis illam confusionem peperit,  
quam in scriptis antiquiorum Historicorum naturali-  
um, ut & Oeconomicis, Medicis &c, atque in of-  
ficiinis adhuc animadvertisimus. Inde est, quod plu-  
rimi labores & inventa nulli sint usui, cum  
descriptiones intelligi nequeant; quod saepius, ut di-  
cunt, quid pro quo sumatur, ac eo ipso homi-  
num fortunæ & sanitatis in discrimen ducantur; &  
ut exemplum addam in historia naturali notissi-  
mum, quod infinitæ variationes pro speciebus no-  
bis obtrusæ sint; quis enim nescit solam Botani-  
cam pluribus luxuriatam fuisse speciebus? Si  
enim instituatur recensio specierum ab auctoribus  
venditatarum, ultra viginti mille invenies; sed si na-  
tu-

3

tiram consulas, vix diridium constituent numerum plantæ hactenus detectæ. Nomina specifica & generica fingendi lubido eatenus crevit, ut paupercula censeatur illa res naturalis, quæ non trib<sup>9</sup> ad minimum, aut quatuor diversis nominibus gaudeat; multæ viginti & triginta ostentent. In Botanica certe tanta est vocum farrago, ut Augiæ hoc stabulum repurgare, post *Caffarum Baubinum* qui negotium feliciter inchoavit, sed non perfecit, vix quisquam sit ausus. Gratulamur ergo nostro seculo quod hodie non nisi genuinæ, per omnem Historiæ Naturalis campum admittantur species, genuina notione & fixo nomine instructæ, quodque in systemata notionum subordinatarum nuper aptissime coire justa sint regna naturæ. Cum vero inter eruditos controversum sit, an naturalibus sufficiant tria antiquitus tradita summa genera seu regna, an vero quartum addendum sit? Eam litem nostræ qualicunque censuræ submittere ausi sumus in sequentibus pagellis, quas ut benévolo Lector perlustret oculo, peroffciose rogamus.

§. I.

**M**Unita sic ad institutum via, jam nunc ordinis svadet ratio, ut ad explicanda ipsa vocabula, quæ frons Dissertationis gerit, nosmet accingamus. Regnum est vocabulum Politicum & Geographicum, quo, ut notissimum est, ad designanda imperia unius potestati subjecta, utimur. *Nature* vero nomen varium admittit sensum, & quidem, ut alias ejusdem notiones reticeamus,

complexum corporum hujus mundi haud raro si-  
gnificat; Historiae vero naturalis scriptores signifi-  
cationem vocabuli ad globum nostrum terraqueum  
restringunt, atque vulgo corpora ibidem occurren-  
tia in Elementa & Naturae distingunt. Per ele-  
menta autem intelligunt quatuor illa vulgaria, Ver-  
temis collegia corporum majora, quæ, qua talia  
Physicis relinquentur, vel separatim a regnis natu-  
ræ consideranda esse judicant. Phrasi ergo Natu-  
ræ regnum indigitantur sola Naturalia seu individua spe-  
cificata, in classes & systemata cœuntia. Ratio-  
nem autem naturalium classifierum, apte denomi-  
natione regni exponit, similitudine Geographica; ut  
enim regna provinciis, provinciæ territoriis, ter-  
ritoria paroeciis, paroeciæ pagis, pagi ædibus;  
ita suprema naturalium genera, quæ regna  
dicuntur, classibus, classes ordinibus, ordi-  
nes generibus, genera speciebus, species indivi-  
duis constant. Addam si placet similitudinem ma-  
gis politicam: Populus unius fere cognationis,  
lingvæ & genii solet coire in unum, principem  
sibi eligere, Magistratus constituere. Cives post-  
modum in certos ordines, certasque classes di-  
stribuuntur, quorum nonnulli litteris, alii opifi-  
ciis, commerciis alii, addicuntur. Videntur im-  
peria hæc humana naturam imitando, facta & ef-  
formata. Adeo enim mirus & ibi reperitur ordo  
ac decens subordinatio. Ut enim individua na-  
turalia civium plebeiorum adinstar sunt, ita notio-  
nes speciæ familiam repræsentant; Magistratum  
quasi

5

quasi infimorum munera gestant genericæ ideas; superioris vicem gerunt magistratus / ordines; supremos vero senatus. exhibent classes, quæ varum convenientia supremam format potestatem. quæ per universum subordinatum sibi regnum infinit, & subalterna-  
tas omnes ideas dirigit. Abent præterea naturalia secundum majus vel minus pretium suum, secun-  
dum has vel illas proprietates, secundum augescendi  
& incrementa capiendi diversos modos &c. in diver-  
sas quasi societates & vitæ instituta. Utpote porro  
ad regnum Politici judicant pertinere & ipsum  
fundum & opes aut fundi proventus & ipsos denique  
homines, ita in naturæ regnis fundus esse potest re-  
gnum Minerale, proventus regnum Vegetable, anima-  
lia incolæ. Et demum, ut quodvis regnum pro-  
pria lingua propriisque moribus gaudet, ita sum-  
mæ naturalium classes singulæ lingvam quasi vernacu-  
lam poscent & propriis characteribus dignoscuntur.

§. II.

**N**otum est historiæ Naturalis scriptores infinita numero Naturalia in tellure obvia ad tria ge-  
nera suprema Regna Naturæ nuncupata, referre.  
Quamquam autem tria hæc regna, mutua inter se  
dependentia & arctissimo connubio juncta sint, diffe-  
rent tamen tam quoad objecta, quam quoad eo-  
rundem generationem, mechanismum, oecconomiam  
&c. Primum horum vocatur regnum *Lapideum*,  
*Fossile* vel *Minerale*, quod globum proxime consti-  
tuit terraqueum, & terrarum continet lapidum  
me.

metallorum, sulphurum & salium genera. Hoc regnum, naturam pede presso qvi seqvuntur, in quatuor dispescunt classes, Terras nimirum, Lapi-des, Mineris & Fossilia S. Variata. Notæ regni Mineralis primariæ, qvibus a reliqvis differt, sunt: qvod naturalia individua complectatur inorganica, mechanismo interno vasisqve carentia, attamen crescentia. Crescere autem est terminus æqvivocus; Dicimus enim crescere I. qvod principio interno augescit, ut: rami arborum & membra animalium 2. qvod eunqve ex aliquo fit aliquid. e. g. per mixtiones, compositiones &c. 3. qvod augetur per appositiō-nem externam. 4. qvod qvomodocunque augetur, ut crescit amor Nummi. 5. qvod figuram vegetantis accipit. 2. 3. & 5. acceptio[n]es præcipue hujus sunt loci. Crescunt autem regni mine-ralis subjecta diversis modis, qvi Henckelio auto-re qvinq[ue] sunt: *congelatio*, *coalescentia*, *germinatio*, *cryſtallatio* & *petrificatio*. de or. Lap. pag. 75. sq. addimus nos *penetrationem*; imo si ad omnes no-tiones r[es] crescere attendamus, *colligationem*, *aduasio-nem* & *alterationem* neq[ue] penitus excludendas cen-semus; stricte tamen loquendo, omnis lithogene-sia ad *congelationem*, *coalescentiam* & *penetrationem* re-duci potest, qvod tamen nunc non est explican-di locus: Sufficit corpora fossilia crescere id licet non ex principio interno, sine vita ac in vasis corporis circulantibus humoribus & absq[ue] vi loco motiva, fiat. Nutriuntur vero elementis singula-  
gi-

ribus, qvæ aër aqua & ignis adplicant. Regnum alterum, qvod dicitur *Vegetabile*, continet plantas, seu omnia naturalia qvæ e terra progerminant, eandemqve vestiunt. Notæ hujus regni characteristicæ sunt, qvod naturalia hic obvia sint organica, mechanismo interno gaudentia, ac principio interno crescentia & viventia. Vegetabilia vivere dubitare solent illi, qui vitam in sensatione consistere putant. Sed apoplecticus eadem caret, non tamen vita privatus dici potest. Sensu autem Historicis Naturalibus familiari circulatio humorum per vasa, vitam constituit, qvæ in plantis & qvæ ac in animalibus reperitur; perinde ergo emoriuntur rami arborum ac membra animalium; sensatione tamen plantæ ac vi loco motiva carent; Nihilo minus vim sibi similia procreandi possident, eumqve in finem sexu & semine instructæ sunt, quo utroqve fossilia destituuntur. Nutriuntur vero lucido peculiari per vasa fluente. Tertium Naturæ regnum *animale* qvod dicitur, duobis cæteris longe præstantius, complectitur omnium, qvæ in hac tellure inveniuntur perfectissima Creatoris opera. Proprietates animalium communes & univeriales, qvibus a reliqvorum Naturæ regnorum incolis differant, præcipuæ numerantur duæ; præterqvam enim qvod crescunt principio interno atque inveniunt, qvæ illorum vita ex circulatione sanguinis dependet, etiam insuper sentiunt, organis nimirum appropriatis donata sunt, & objecta in eadem incur-

rentia percipere possunt, ac simul habent facultatem loco motivam, qvibus cætera naturalia proprietatibus, facultate scilicet sensuiva & vi loco motiva penitus carent. Breviter Cel. Linnæus, consentientibus haud paucis: *Mineralia* crescunt, *Vegetabilia* crescunt & vivunt, *Animalia* crescunt vivunt & tentant. Crescunt hic numero characteres pro gradu compositionis & perfectionis naturalium. In singulo quoq; regno gradus obtinent perfectionis, & unum reliqua, aliqva parte, cognatione quasi contingere videtur. Ita in animali regno Homo plurimum a plantis distat, Zoophyta unico sensu & parca vi loco motiva praedita, iisdem quam maxime affinia videntur; hæc excipiunt vegetabilium perfectissima; Plantæ vero imperfectissimæ, algæ, lithophyta, lapideum regnum quam proxime contingunt; simplicissima autem lapidum genera, parum a collegiis seu elementis vulgaribus distant. Ulterius differentias & relationes regnorum considerantes deprehendimus, qvod Minerale regnum constituar globum nostrum, Vegetable eundem vestiat, Animale augustum hoc amphitheatrum inhabitet. Præbent Vegetabilia escam animalibus, Vegetabilibus terra, terræ elementa; & vicissim animalibus putrefactis eorumve excrementis crescunt, perinde ac propriis cineribus, plantæ; Sed & humus atra Vegetabilium regno minerali vindicatur; obtinet qvoddam inter regna naturæ, perinde ac inter politica qværitur, æquilibrium, idem que

que Sapientia Divina inter incolas cujuslibet regni constituit & conservat. In ipso creationis ordine progressus est sapientissimus rerum Auctor ab imperfectioribus & simplicioribus, ad magis composita & perfectiora; ab elementis ad regnum fossile, a fossili ad Vegetabile, hinc ad animale; & tandem omnibus regem dedit hominem. Paravit elcam & penu necessiarum, antequam creaturas illo opus habentes produceret. Ita Minerale regnum primo creatum basis est omnium; hoc creato locus erat Vegetabilibus; creatis autem plantis, deum prodibant Vermes, reptilia, aves, hinc animalia & homo. qui cum ratione singulis recte uti debebat. Sed haec quidem jam ad scopum praeceps non pertinent nostrum; Veniam tamen B: Lectorem brevi episodio datum confidimus.

§. III.

**D**iu quidem & communiter consensu Philosophi statuerunt, omnia globi terrauei Naturalia, ad tria haec Naturae Regna referri & posse & debere. Existerunt tamen haud ita pridem, qui, aquas Naturalibus annumerantes, easdem quartum constituere Naturae Regnum opinati sint. Nostrum vero jam est, fundamenta hujus opinionis modesto examini subjicere. Novum hoc regnum aqueum illa insignitur nota characteristica, quod corpora ibidem obvia, & absolute & revelatively minuantur atque omni nisi prius transmutato careant alimento, quae enim prius

prius aqua in aliam formam transmutata, iterum  
 in aquam reddit, vere & absolute alimentum dici non  
 potest. *Absolute* vero minui aquas inde demonstra-  
 tur, quod reliqua naturalia, quae absolute crescunt,  
 omne incrementum & augmentum ab aqua habe-  
 ant. Aliis præterea argumentis idem probari solet,  
 utpote: quod aqua vel mediate vel immediate ingredi-  
 atur omnium corporum terrestrium compositionem,  
 ac quod transmutetur naturaliter & artificiter; Ulte-  
 rius, a desidentia aquarum in mari & lacubus vera, &  
 tandem quoque ipsa creationis historia citatur. Quid  
 per imminutio[n]em vero relativam intelligatur, neq[ue]  
 dilucide satis expostum est, nec exemplis illustra-  
 tum. Nos quid sentiamus candide fatebimur: i.  
 verissime protecto dicitur, aquæ deberi augmen-  
 tum corporum crescentium; licet non omne, nec soli;  
 vehiculi vices saepius sustinet; eandem compositio-  
 nem corporum ingredi similiter manifestum est at-  
 que facilissimum demonstratu; quod vero inde sequar-  
 tur, aquam absolute minui, h[ab]e: propriam naturam  
 deponere aliarnque induere, adhuc certe non evi-  
 dum est, imo contrarium potius verum esse vide-  
 tur; chemica enim arte extricatur e plurimis cor-  
 poribus aqua, quae eadem vel ut alimentum, vel  
 ut pars constitutiva ingressa fuit; mansit proinde  
 in compositione illa vera aqua; quod si arte huma-  
 na alicunde non possit elici, inde tamen non infer-  
 re licet, eam naturam aquam privatam esse, cum po-  
 tiore jure elementa aquæ prorsus immutabilia, cen-  
 sean-

seantur. s. Redit igitur tota res ad venditatem il-  
lam naturalem & artificialem transmutationem; u-  
bi notandum (a) aquam vi solvendi eximia gaudere,  
ac proinde plurium naturalium ramenta & solutas  
particulas gerere, quamobrem etiam jure lixivium  
naturæ dici solet; terreis hinc & lapideis, imprimis  
calcareis, saepius abundat particulis, quas quando  
deponit Stalactitas format, lapidibus incrementum  
largitur, alias res crusta circumdat lapidea &c; hue  
pertinet experimentum de accretione per aquam  
assutam lapidis in phiala, de quo in Academia Lon-  
dinensi relatum esse narrat Monconys Reise Be-  
schreib p. 527. atque Lesseri observatio Lithotheolo-  
giae §. 108, itemque relatio Gaffendi de observatione  
peiresci circa generationem silicis, de qua ratiocinan-  
tem legere opera pretrumerit Stalatum Spec: Beccher,  
pag. 108. ubi experimento Beccheriano eadern illu-  
stratur. Variam quantitatem sedimenti, quam va-  
riæ aquæ dederint, experimentis detexit solertissi-  
mus Steph. Hales Statical Essays Vol. 11. p. 242.  
sq. (b) Neque in experimento Henckelii de Orig. lapi-  
dum p: 4 sq. præter separationem heterogeneorum  
aque immixtorum aliquid inveniemus. Difficulta-  
tem vero majorem parere videtur auctoritas sum-  
morum virorum: Boylei de Orig. Form: pag: 259.  
sq. qui narrat se 200. destillationibus ex uncia aquæ  
purissimæ obtinuisse lex drachmas terræ; cuius ex-  
perientiam approbat Newtonus opt: part. 3. qv. 30.  
p. 378. Rob. Hookii in act. Erud. 1707. apud Fabri-

11  
cium Hydrotheologie Cap. 31. *Borrificii atque Dickin-  
soni apud Henckelium Flor. Saturniz.* p. 357. Sed pa-  
ce tantorum nominum liceat de rei veritate dubia-  
tare; *Henckelius* protecto ipse cum *Barchbysio* in expe-  
rimento *Borrificiano* non aquam in teruum corpus  
transverti, sed terram ex aqua separari existimat.  
Et acutissimus *Borrhaeuius* El. Chem. Tom. I pag.  
m. 626. seq. in distillatione *Boyleana*, quae tam  
en a-  
hena fide nititur, cum *Boyleus* ipse non nisi ter in  
principio adfuerit, terram non ex aqua transmuta-  
tione ortam esse, sed aliunde accessisse firmissimis ar-  
gumentis demonstrat. (c) Qvod si peregrinum a-  
liqvod aquae arctissimo nexu junctum, cuius vel ab  
eadem separandi modum nescit ars humana, ali-  
quando natura vel catu deponatur, non inde con-  
cludere licet aquam trasmutatam esse. Ita in aqua  
marina adeit praeter muriam, plogisticum aliquid  
& amarum, in aliis alia.

3. Neqve aquarum absoluta in lacubus & mari  
desidentia omni prorsus caret dubio; sèpius enim  
qvod uno loco perdunt, altero recuperant. Ne-  
que negari potest, pressione & attritu aquarum  
fundos & alveos fluviorum ipsiusqve maris alicu-  
bi reddi profundiores, ac proinde multam & for-  
tasse omnem aquarum desidentiam non esse, nisi re-  
lativam. Observationum forte myriadibus certitu-  
dinem hoc in negotio adqvirent; Nepotes nostri.  
4. Frustra demum creationis historia in partes  
trahitur, qvousqve natura aquæ chaoticae nobis pe-  
ni-

nitus ignota manet. Nec facile qvis cum Stoicie afferet: sitire solem & lunam aquas nostras, & hanc fluvios; illum mare paulatim exhaustire, juxta il-  
lud *Anaxeontis*;

τίνη οὐλαττα δ' ἀργε  
οὐ δὲ λόγος θελεται.

Et ex dictis quidem patere opinor, aquas vel non absolute minui, vel saltem illam proprietatem controversam esse, ac plurium seculorum forte experientia demum detegi posse, proinde characterem regni ex eadem defumum, neutiquam recte formatum esse, cum ex ejusmodi notis peri debuisse, quae planæ & cuivis primo incitu obviæ essent. Et si vel maxime & vera & plana esset hæc nota, non tamen sufficit ad distingvendum aquam ab omnibus aliis naturalibus, quorum haud pauca, e.g. terræ, salia, sulphura &c. compositionem corporum ingrediuntur, ac proinde eodem iure quo aqua dici deberent absolute minui. Sed imminutio quoque relativa, quam propter vaporis, glaciei & loci mutationem aquæ tribui hariclor, pluribus vario modo naturalibus communis est. Qvod carenitiam vero alimenti attinet, fallus omnino est character; de genesi atque mixtione proprie aquæ non dispiro; ut Historicum naturalem decet, eandem puram potius ut elementum considero & vehiculum elementorum; sed quatenus specificantur & ut naturalia considerantur aquæ, utique a naturalibus

libus trium regnorum alimenta habent, a quorum  
scilicet exuviis, tota pendet aquarum differentia;  
quod in sequentibus fusius demonstrabitur.

§. IV.

**P**rogradiamur ulterius ad considerandam ipsam  
classificationem in novo hoc regno: IV. au-  
tem corporum aquarum constituantur classes, qua-  
rum 1. aquæ simplices, communes & vulgares com-  
“plicentur, quæ aut aëreæ aut terrestres. 2:dam clas-  
“sem aquæ minerales constituant, quæ in calidas, tepi-  
“das & frigidas dividuntur. 3:ta classis aquæ mira-  
“bilibus constat, quales sunt precipitantes, petrificantes,  
“frigide, ebullientes &c. 4:ta denique & ultima classis,  
“aquas artificiales exhibet, quæ vel putrefactione, vel  
“fermentatione vel abstractione ortæ sunt. Pauca cir-  
“ca hoc schema regni aquæ notabimus. 1. aquæ,  
quæ simplices hic dicuntur, multam imo pluri-  
“mam partem etiam peregrinis abundant particulis;  
præterea status aquæ vaporosus differentiam ordi-  
“nis suppeditat, cum tamen eadem sit aqua sive ca-  
“lore in vapores expansa sive frigore in glaciem co-  
“acta; quod si status hic sufficeret, glacies tertium  
“constituere debuisset ordinem. 2. Classis secunda  
manifesto ex Minerali regno desumpta est. De dif-  
“ferentia ordinis ex gradu caloris depromta non  
disputo; moneo tantum, cum omnis diversitas a  
mineralibus dependeat, etiam optime has aquas, se-  
“undum genera & species mineralium disponi.  
Præterea si constituere poterint classem aquæ mine-  
“rales,

tales, qvidni etiam Vegetabiles atqve Animales, cum  
haud minus horum regnorum spoliis onustæ depre-  
hendantur aquæ, quam mineralium? 3. Mirabiles  
aque sèpius difficulter a cæteris distinguentur & de-  
pendent præterea certe earundem effectus ab ad-  
mixtis peregrinis e vegetabili & animali, freqven-  
tius tamen e minerali regno, qvod plurimis faci-  
le esset exemplis probare, nis rem doctis notissi-  
mam loquerer. 4. Artificiales qvidem aquæ na-  
turalium classem constituere nequeunt; easdem ta-  
men haud infimum in historia aquæ locum mere-  
ri censeo. Dependent autem, qui numerantur or-  
dines, etiam ab admixtis triplicis naturæ regni spo-  
liis; & vel naturaliter eam mixtionem adipiscuntur a-  
quæ; qvæ ad fermentationem & putrefactionem  
reqviritur; imo forte & putreficiunt re ipsa & ter-  
mentant. Spiritus protesto ardantis & talis volati-  
lis alcalini copiam in atmosphæra præsto esse, plu-  
rima sunt qvæ svadeant. Abstractiones vero na-  
turaliter perfici vel vulgaris docet experientia.

## §. V.

**H**is ita prælibatis, accingimus nos ad ferendum ju-  
dicium de quarto hoc, aqveo Naturæ Regno.  
Duplex autem nobis hic occurrit qvæstio. Primo e-  
nim dispiendium est, an jure aquæ naturalibus an-  
numerentur an secus? ipsa vero notio naturalium  
historicis naturalibus familiaris & superius a nobis  
explicata aquam excludit; consideratur autem in  
historia naturali simplici ut elementum, qvippe qvæ  
ma-

manifeste deprehenditur omnium mixtorum compositionem ingredi. Nec obstat quod peregrina admixta gerat; non enim repugnat esse elementum & simul menstruum. Ex vi autem solutiva id habet, ut tantam naturae lixivium considerari debeat, & vehiculum sit plurimarum variis generis particularum, unde naturalia componuntur. An pura uspiam vel simplex aqua occurrat, vel unquam praestari possit, non dispergo; patet tamen aliquid esse quod proprius aquam constituit, & licet e. g. amarum illud & phlogisticum ab aqua marina separari nequeat, ad aqueam tamen substantiam eadem non necessario pertinere facile perspicimus; & si vel maxime aquae elementa mixta essent ex simplicioribus composita, rationem tamen elementorum haberent quoad mixta secundaria; Sed cum ultimae naturae mixtiones vel protus non, vel saltem non nisi difficillime detegi poterint, vix a me impertrare possum, ut in classificatione naturalium speculacionibus Philosopherum, quantumvis optimis, locum concedam. Sed si aquas ut mixta naturalia considerare voluerimus, succedit tamen alia quaestio, an regnum proprium & naturae quartum constituere debeant? Dispiciendum igitur quid & quantum illis proprium sit. Nemo autem inficias ibit, tribus naturae regnis omnium primo tribui debere quod ex eorundem exuvias gerit aqua; Sal enim e. g. in aqua solutum, non minus est talis quam quando in aggregato exhibetur; quod si aliter progre-

gredi voluerimus, maxima in naturali historia o-  
rietur contusio. His vero de multis paucissimæ pro-  
fecto restabunt aquarum differentiæ, nec forte  
nisi a *statu*, *loco* & *situ*; quæ, an species, genera, or-  
dines, classes & conseq[ue]nter Regnum proprium  
constituere possint, primum est judicare. Non qui-  
dem cum illis facio, qui aquam qua talem, ad Re-  
gnū mineralē referunt; rationibus enim haud be-  
ne subductis illa nititur assertio: Mineralis tamen &  
reliq[ua]rum Regnorū subjecta, in aquis soluta &  
natantia, jure optimo propriis in sedibus con-  
dero, aquamque ut matricem, vehiculum, solvens,  
alterans &c. simol cito. His addo, quod, qui no-  
stræ contrariam foverit sententiam, cogetur limites  
ad amati Regni aquæ, in immensum extendere,  
non enim tantum *salia* e.g. magnam aquæ & phleg-  
maris copiam gerunt, sed mixta omnia trium re-  
gnorum, aliquo pacto ad illud ipsum novum Re-  
gnū reduci possent. Qualem aquarum qui exci-  
taverit rebellionem, ipse viderit quomodo pacem &  
tranquillitatem cum genitinis ejusdem fructibus, Natu-  
ræ Regno restituere poterit.

## §. VI.

**C**um igitur entia præter necessitatem non sint  
multiplicanda, tatis ex dictis patere opinor,  
sufficere Naturalibus tria antiquitus stabilita Regna.  
Imo nec a solita divisione recessendum esse puto,  
nisi summa urgente necessitate. Quod si aquæ pro-  
prium constituent Regnum, eodem profecto jure,  
*idem*

idem privilegium aër sibi vindicaret, qvippe qvi ut  
 chaos Naturæ, saltim tantæ qvanta aqua conspicu-  
 us est varietate; possetqve adeo quintum hoc Re-  
 gnum, æque bonis instrui notis characteristicis &  
 majori fere stipari generum & specierum caterva.  
 Imo sextum igneum, si vel speciem justitiae conser-  
 rare aliquam volueris, nullo excludi posset pacto; i-  
 pli deniqve terra proprium poscere posset Regnum,  
 si æqualitas jurium inter æqvales obtinebit. Qvorum  
 autem hæc ipsa multiplicatio? Melius ne foret sine  
 superbo Regni titulo historiam elementorum vulga-  
 rium, seu collegiorum majorum condere, cum ni-  
 hilominus omnes fere differentiæ specificæ, qvibus  
 speciem naturalium induerent, e tripli naturæ  
 Regno mutuo sumi debeant. Hæc tamen non e-  
 um in finem disputata esse volo, ac si omnem aquarum  
 classificationem respuerem; utile enim erit inventa-  
 rium eorum, qvæ gerit aqua, modo ad genuinam  
 omnia referantur originem. Et doleo certe aquarum  
 historiam naturalem non satis huc usqve ex-  
 cultam esse; qvod si tantillum tituli privilegium,  
 fortè aquarum post hac meliorem efficere qviverit,  
 haud difficulter consensus a me extorquebitur. Par-  
 vula saepe inventionis gloria stimulum addit natu-  
 ra studiosis; mallem tamen ita institueretur nego-  
 cium, ut & prolixum naturæ studium reddatur faci-  
 lius, & maximus e labore fructus  
 percipiatur.

SOLI DEO GLORIA.